

adhuc in se recepisset, pulcherrimae purpurae deiiciendae apta euasit.

Iam vero, quod ad ortum nigri coloris, quo ille puluis gaudebat, attinet, eum equidem non difficulter explicandum putarim; etenim multiplici experientia edocti scimus, inflammabilis principii hanc esse virtutem, vt metallicas calces, albo alias colore conspicuas, vel nigredine, vel fusco saltem colore inficiat, si quo demum cunque modo coniunctionem cum illis inierit; sic, vt duobus exemplis hanc rem illustrem, volatile alcali omnis phlogisti expers album puluerem, eo ipso principio saturatum autem caeruleam aut penitus nigram calcem ex hydrargyri solutione deiicit, et argentum ex aqua forti cretae auxilio praecipitatum et quodammodo calcinatum pariter nigrum euadit, et, vt *Schulzii* verbis vtar, in scotophorum mutatur, si solis radiis expositum fuerit. Videtur ergo stanni solutioni fumante nitri acido factae multum phlogisti, quo hoc acidum valde abundare satis cognitum est, infuisse, eoque rubram alias calcem in nigram esse conuersam. Haec ipsa autem solutio, quum in aperto vase stetisset, non poterat non purpureo pulueri praecipitando aptissima euadere, quippe quae hac ratione superfluo phlogisto, quod in auram sensim abierat, priuata fuerit.

Ceterum, etsi illa, quam supra descripsi, mineralis purpurae praeparandae methodus potissimum chemicis, iisque artificibus, qui porcellanae, aliisque vitreis massis tingendis hanc calcem adhibent, sollemnis est; nequit tamen negari, plures esse vias*), quibus incedere possint, qui sibi eam parare

B 3

rare

*) Conf. P. I. Macquer's *Chemisches Wörterbuch*, 3 Theil, Leipz. 1781. S. 644.